

Michael Alberti

**Academiae Fridericianae Prorektor D. Michael Alberti ... Una Cum Toto Senatu Academico, Post Praeviam Commentatiunculam De Christo Filio Dei Per Resurrectionem Ex Mortuis Demonstrato, ex Psal. II, 7. Nobilissimis Academiae Fridericianae Civibus Paschales Ferias Pie Celebrandas Indicit**

Halae: Hendel, [1754]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn845189247>

Druck Freier  Zugang





a. B.

48. C. 2.

57

275  
Fa - 1092 (57.)

19 35  
2 36  
3 37  
4  
5 2  
6  
7  
8 25  
9 26  
10  
11 27  
12  
13 28  
14 29  
15 30  
16 31  
17 32  
18 33  
34

1. Programma de Spiritu S. para Aeto
2. Demonstratio aeternae peccatorum damnationis
3. Knapp. de recto et genuino usu argum. fidem humanam facientium in probanda divina origine
4. Programma de commemoratione condium Henrici Guilielmi Ludolfi circa ecclesiae orient. salutem
5. Programma de Statu temporum nato Christo et singulari semporis nostri signo
6. Programma de Patriarchum ut in Palaestina sepelirentur ad Hierico.
7. Dissput. de Origine Malorae punitorumq. Vet. Test. ebraeorum.
8. Dissert. de articulis fidei christianae fundam. et non fundament.
9. Diss. de Guarantia pactorum foederumue religionis ergo percussorum.
10. Oesfeld. Dissert. de Coestasi
11. D. Hubertus v. Goll. v. s. b. s. t. in Moser. b. g. r. a. b. n.
12. Dissert. de vera aetate scriptorum, quae supersunt Q. Septimii Florentis Tertullianip. Diss. Ima
13. Naesselt Diss. Ilda de eadem Materia
14. Semler. Dissert. de imagine, quina in homine p. laps. perdita
15. Knapp. Diss. de Discrimine Crucis et poenae
16. Michaelis Diss. de Progressu et incremento Salutaris Doctrinae sub Noacho.
17. Programma de Nomine Immanuelis ecclesiae olim in argumentum solati et bonae spei p. p. o. s. i. t. o
18. Programma de admirando humilitatis et modestatis temperamento in primordiis vitae Christi conspicuo.
19. Liberatio loci epist. ad Philip. cap. II. v. 1 et 2 a Tautologiae vitio. Auctore Stiebritz
20. Baumgarten. Dissert. de mysterio rum christianae fidei vera indole.
21. Eiusd. Diss. de Tentatione Christi in Deserto.
22. Knapp. de Dono prophetiae in Ecclesia N. T. Dissert. I. ma
23. Eiusdem Dissert. II. da
24. Baumgarten de Indole, Auctoritate numeroq. consil. oecumenicorum.
25. Meier. Diss. poenas divinas bonitati Dei non esse contrarias.
26. Semler. Diss. de Auctoritate archaeologiae ad exercitationem flavianah. lippiensem etc.
27. Baumgarten. de arctis cognitionis hum. limitibus in rebus div.
28. Zachariae Diss. de persuasoriae humanae sapientiae verbis I Cor II. 4.
29. Judaeorum Lectio Audi etc.
30. Zachariae de morte Veterum in locis editis colendi Deum
31. Baumgarten Diss. de Omnipotentia Christi in statu exinanitionis
32. Programma de exortuenda Sententia Luc. I
33. Baumgarten de consecratione sanctorum apud Pontificos usitata ad 1 Tim. II. 15. Roman. effecta
34. de Christo filio per resurrectionem ex mortuis demonstrato
35. Baumgarten de acquirendis donis optimis
36. Programma seculare
37. Programma Schreberii

35  
36  
37

ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
PRORECTOR

D. MICHAEL ALBERTI,

SACRAE MAIEST. BORUSSIAE CONSILIARIUS AVLI-  
CVS, ET CONSISTORII MAGDEBURGICI, ITEMQVE FACVL-  
TATIS MEDICAE SENIOR, PHILOSOPHIAE NATVRALIS PRO-  
FESSOR PVBLICVS PRIMARIVS, ALVMNORVM REGIORVM  
EPHORVS, INCLYTAE REIP. NORIBERG. PHYSICVS ORDI-  
NARIVS SENIOR, ET VARIARVM SOCIETATVM SCI-  
ENTIARVM SODALIS,

VNA CVM

TOTO

SENATV ACADEMICO,

POST

PRAEVIAM COMMENTATIVNCVLAM

DE

CHRISTO FILIO DEI PER RESVRRECTIO-  
NEM EX MORTVIS DEMONSTRATO,

*ex Psal. II, 7.*

NOBILISSIMIS ACADEMIAE FRIDERICIANAE CIVIBVS  
PASCHALES FERIAS

PIE CELEBRANDAS INDICIT.



HALAE LITTERIS HENDELIANIS.

38

ANNO 1774  
D. MICHAELIS

SENAIA ACADEMIA

INSTITUTIONE  
D. MICHAELIS

SENAIA ACADEMIA

INSTITUTIONE

D. MICHAELIS


SENAIA ACADEMIA

INSTITUTIONE

D. MICHAELIS

SENAIA ACADEMIA

INSTITUTIONE



um per Dei gratiam festi dies, memoriae resurrectionis Dominicae sacri, iam denuo in Ecclesia Christi pie concelebrandi instent, Ciues nobilissimi, officii nostri esse ducimus, & nos ipsos, & nobiscum vos quoque, Pectora cara, ad festiuitatem hanc, ecclesiae Christi tam faustam & salutarem, digne pieque obeundam, publico hoc programmate excitare. Eam in rem Oraculum meditandum vobis proponimus longe ponderosissimum, nempe illud Psalm. II, 7. *DOMINVS dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Defuntum id ex Psalmorum non primo forte, sed secundo: idque ex ordine in omnibus fere & probatissimis codicibus Ebraeis recepto; suffragante Paulo, qui, ipsum hunc locum citans Act. XIII, 33. disertam formulam praemittit: *sicut & in Psalmo SECVNDO scriptum est.* Et quamuis negari nequeat, in aliquibus codicum, tum Ebraeorum tum Graecorum, Psalmum hunc, qui nobis secundus est, cum primo ut vnum, ac adeo ut primum Psalmorum computari; tamen illi, maximeque Ebraei codices, oppido pauci sunt, vti B. IO. HENR. MICHAELIS in Praef. ad suam Codicis Ebraei edit. §. XII. ostendit; & fidem eo minus merentur, quo magis a se inuicem argumento differunt Psalmi I. & II. ille moralis, hic propheticus, quos proin compactos a Psalte in vnum fuisse omnino improbabile est. Vtut item sint qui l. c. Act. XIII, 33. pro *ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ*, psalmo secundo, legunt *ψαλμῷ τῷ πρώτῳ*, psalmo primo;



*primo*; tamen hi non sunt alii, quam ex Patribus ecclesiæ pauci, ex versionibus sola *vetus Itala*, ex codicibus MStis solus Græco-Latinus *Cantabrigiensis*, cuius Græca Latinis conformata esse alibi \* euctum est, & ex editionibus impressis nonnisi *Aldina & Frobeniana*: vt mirum sit, potuisse præter alios IO. MILLIUM in sua N. Testamenti editione hanc lectionem *πρώτῳ primo* pro *δευτέρῳ secundo* venditare vt genuinam, contra consensum non solum codicum Græcorum, sed etiam (modo *Italiam* exceperis) versionum veterum ac Orientalium omnium, ipsiusque *Vulgatæ* Hieronymianæ; ex sola hac ratione, *quod mutandi δευτέρῳ in πρώτῳ nulla omnino causa fuerit*; *legendi vero δευτέρῳ pro πρώτῳ longe maxima*; *ne discederet sc. Lucas a codicibus Hebræis ac Græcis V. T.* quasi vero *Italæ* versionis auctor, quem Patres nonnulli secuti, & cui Græca Codicis *Cantabrig.* conformata sunt, cum forte haberet Psalterium siue Ebræum siue Græcum, in quo Psalmi I. & II. in vnum compacti erant, non potuisset, iudicio abusûs, in memorato Actorum loco *πρώτῳ* ponere pro *δευτέρῳ*, vt ne Paulus discedere videretur a numero Psalmi, quem in suo repertum Psalterio incaute pro genuino adsumserat.

Psalmus autem hic secundus, licet sit *ἀνεπίγραφος*, nulloque insignis titulo speciali, qui Davidis nomen præ se ferat, vt alii Psalmorum, tamen Davidem haud dubie auctorem agnoscit. Cum enim in Davidicorum Psalmorum volumine hic quoque comprehendatur, igitur & ipse Davidis esse iure merito tamdiu præsumitur, quamdiu contrarium evidentibus argumentis euctum non fuerit. Dubitationem vero hac de re omnem nobis eximit auctoritas Apostolorum, Petri atque Ioannis, Psalmum hunc allegantium in precibus suis ad Deum Act. IV, 25. sub expressa formula: *Qui Spiritu sancto per os patris nostri David, pueri tui, dixisti cet.* Plane vt & Psalmus XCV. licet titulo carens, auctoris nomen nullum præferat, tamen Ebr. IV, 7. diserte *Dauidi* adscribitur. Quod si David huius Psalmi est scriptor, (vti omnino est) tanto evidentior est diuina eius auctoritas. Fuit enim David *vir constitutus in excelsis, unctus Dei Iacobi, amœnus psalmis Israelis; per quem Spiritus*

\* Puta in C. E. MICHAELIS Tract. critica de Variis Lectionibus N. T. §. 83.

35  
36  
37

tus Domini locutus est, & super cuius lingua sermo fuit Domini,  
2 Sam. XXIII, 1. 2.

Vtut vero David huius Psalmi auctor sit, tamen, cum in eo  
& *Vnctum Domini & Filium* commemorat, non de se ipso, sed de  
*Christo*, Salvatore mundi, agere existimandus est. Prius quidem  
nouiorum temporum Iudæi adferere conati sunt, sed id ita, vt ne-  
cessum habuerint fateri, se, dum hoc agerent, mala egisse fide, & a  
maiorum suorum, rectius de hac re sentientium, consensu peni-  
tus desciuisse. Etenim R. SALOMO ISAACIDES Comm. ad h. l. scri-  
bit: רבותינו דרשו ארז הענין על מלך המשיח ולפי משמעו נכון לפותרו על דוד עצמו  
*Magistri nostri antiquiores allegorice hunc textum explicauerunt de rege Messia; sed rectius est, cum in-*  
*terpretari de Dauide ipso.* Loca veterum, quæ innuit, reperiun-  
tur in tr. Talmudico *Succa* f. 52. a. in *Ialkut* parte II. f. 90. b. in *Bre-*  
*chith rabba* f. 45. b. c. & in *Medrasch Tillim* f. 4. b. \* Malo potius  
dolo interpretamentum hoc R. Salomonis recens suam debere ori-  
ginem, quam sincero inquirendi sensus litteralis studio, produunt  
ipfius verba, in editionibus quidem Venetis recentioribus & Basi-  
leensi omiſſa, (deleta nempe a censoribus christianis, iudicio suo  
abusis, vt ne iniuriosa essent contra christianam religionem) at ple-  
nius expressa in Venetis antiquioribus, hoc modo, ולפי משמעו  
ולתשובת המינים *sed secundum sensum eius litteralem, & NB.*  
*vt hæreticis* (in christianos hoc dicit) *respondere queamus, rectius*  
*est, psalmum de Dauide ipso explicare; & in codice membranaceo,*  
quem Ven. Ministerium Euangelicum *Erffurtense* possidet, simpli-  
citer, ולתשובת המינים *sed vt hæreticis respondere queamus,*  
cetera. Liquet enim hinc, doctorem illum Iudæum, deserto vni-  
uersali veterum consensu, locum hunc Dauidi ipsi adcommodasse  
vix alia de causa, quam vt Christianorum argumenta pro diuina  
Christi natura, quibus se premi intelligebat, fraudulenter ac so-  
phistice euerteret. Sincerior paulo est ABRAHAM fil. EZRAE: qui  
vtut anceps sit, neque scire videatur, vtri primas decernere de-  
beat, num R. Salomonis corruptelæ, an veterum suæ gentis magi-  
strorum

A 3

\* De singulis videatur C. B. MICHAELIS diss. de Nominibus Christi diui-  
nam illius naturam designantibus §. XVII. XVIII.

strorum explicationi; tamen ad v. 2. fatetur ingenuè: **וְאִם עַל-כֵּן**  
**הַמְשִׁיחַ הַרְבֵּר יוֹתֵר בְּרוּךְ** *Si de Messia accipiatur Psalmus, res*  
*multo est clarior.* Atqui de Christo, non de Dauide, Psalmum age-  
 re, liquet ex magnificis illis Prædicatis, quæ non huic, sed illi com-  
 petunt: vt v. 7. *Dominus dixit ad me, Filius meus tu es, ego hodie*  
*genui te;* v. 8. *Dabo gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam*  
*finis terræ, cetera;* v. 12. *Osculamini Filium, ne irascatur, cetera.*  
 Confirmat nos auctoritas Apostolorum, qui, siue loquerentur Iu-  
 dæorum synedris, siue scriberent Ebræis fidelibus, siue agerent  
 cum ecclesiis Christi, si non omnibus in vniuersum, tamen pluri-  
 bus, dicta ex hoc psalmo desumpta de Christo explicarunt: vt 1) v.  
 1. 2. coll. Act. IV, 25. 26. 27. 2) v. 7. coll. Act. XIII, 33. Ebr. I, 5. c. V, 5.  
 3) v. 8. 9. coll. Apoc. II, 27. c. XII, 5. c. XIX, 15.

Vt autem generatim Prophetæ V. T. scrutati sunt, in quod vel  
 quale tempus intenderet habitans in eis Spiritus Christi, prænuncians  
 venturas in Christum passiones, & glorias secuturas post eas, 1 Pet. I,  
 II. sic speciatim Dauid Psalmo hoc II. postorius illud momentum,  
 glorias puta & statum exaltationis Christi, qui cum resurrectione  
 eius initia cepit, persecutus fuit; idque ita, ac si non eminus de fu-  
 turis caneret euentibus, sed quasi futuros illos euentus tanquam  
 præsentis iam cerneret. Tanta erat perceptionum Dauidis in Spi-  
 ritu constituti, indeque longissime in remota tempora, velut ei ob  
 oculos iam posita essent, prospicientis, euidencia, claritas & certi-  
 tudo. Scopus igitur est, ostendere, vanos irritosque esse futuros  
 conatus omnes omnium aduersariorum Christi, post passiones ac  
 mortem exaltati, inde a resurrectione illius vsque ad consumma-  
 tionem sæculorum.

Hoc vero singulare est, & ad sublimitatem propheticæ di-  
 ctionis pertinet, quod Psalmus hic formam habet Dialogi, in quo  
 plures sunt, quanquam non distincti nominibus suis, collocuto-  
 res. \* Etenim per vices heic loquuntur 1) Psalter siue Propheta  
 v. 1. 2. *Quare fremunt gentes, & populi meditati sunt inania? Ad-*  
*stiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus*  
*Domi-*

\* Similem *διαλογισμὸν* in aliis psalmis obseruauit B. AVG. HERM. FRAN-  
 CKIUS Introduct. in Psalterium §. XLII - XLV. p. 29. seqq.

35  
36  
37

*Dominum, & aduersus Christum eius?* 2) Ipsi aduersarii, gentes, populi, reges, principes, veluti frementes coram audirentur, v. 3. *Dirumpamus vincula eorum, (Domini & Christi eius,) & proiciamus a nobis iugum ipsorum.* 3) Iterumque Psaltes v. 4. 5. *Qui habitat in caelis irvidebit eos, (populos principesque) & Dominus subfannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.* 4) Ipse interueniens Dominus, Deus Pater, v. 6. *Ego vero vixi regem meum super Sion montem sanctum meum.* 5) Christus siue vnctus Domini, v. 7. 8. 9. *Narrabo de statuto Dei Patris: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, & dabo tibi gentes haereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrae. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Ac denique 7) Psaltes, tertium loquens, faciensque epilogum, v. 10. 11. 12. *Et nunc, reges, intelligite: erudimini, qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via, cum exarserit breui ira eius. Beati omnes, qui confidunt in eo.* Ac sperare quidem licet, Psalmum hunc, si ita ex personis diuersis earumque in loquendo vicissitudine distinguatur, sensum lectoribus daturum esse planiorem pleniorisque. Nec vero difficilius erit, personas colloquentes ex argumento & caractere orationis, quo singulae fermocinantes inducuntur, quam (quod in prouerbio est) aues ex cantu suo dignoscere.

Propius nunc ad ipsum illud comma accedamus, quod paschalis nostrae meditationis materiam delegimus: v. 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Is, qui haec narrat, est sine dubio *Christus*, utpote *Filius Dei & genitus ab illo*. Dominus vero, de quo narrat, quia Christo Filio contradistinguitur, est *Deus Pater*, utpote Christo dicens, non solum, *Filius meus es tu*, sed etiam, *Ego hodie genui te*. Quae duo momenta si recte pensitentur, sensum commatis quod ad singulas partes illustrabunt. Primo enim *gignens Dominus* vix erit *Spiritus sanctus*, ita ut hic Christum censendus esset genuisse ratione humanae naturae, sicuti Deus Pater eum genuit ratione diuinæ; ac adeo Christus, qua  
Deus,

Deus, esset quidem Patris, sed qua homo, Spiritus sancti filius. Potius Christus qua Deus, fuit ἀμήτωρ *sine matre*, & qua homo, ἀπάτωρ *sine patre*, suo modo adsimilatus Melchisedeco, Ebr. VII, 3. ratione naturæ diuinæ *Filius Dei*, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, vel absolute ὁ υἱὸς *Filius*; ratione humanæ vero, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου *Filius hominis*, cum in V. tum in N. Testamento passim adpellatus. Sicuti contra nuspam alibi in Codice sacro *Spiritus sancti filius* adpellatur, vel *genitus ab illo* legitur. Et quamuis Luc. I, 35. Gabriel Mariæ virgini dixerit, *Spiritus sanctus superueniet in te*, tamen id ad *generationem*, hoc est, ad communicationem naturæ humanæ, quæ in Spiritu sancto non est, vix trahi potest, sed tantum eo spectat, quod beata Virgo per diuinam potentiam, sine viro & παρὰ φύσιν grauida futura, fetusque eius iam in vtero materno secundum humanam naturam Spiritu S. vngendus esset, secundum illud Psal. XLV, 8. *Vnixit te Deus, Deus tuus, oleo letitiæ præ consortibus tuis*. Multo minus locum habebit corruptela Socinianorum, secundum quos Christus a Patre vocatur *Filius meus*, non quod talis sit per naturam, sed per gratiam; neque per æternam generationem, sed per adoptionem: pariterque secundum eosdem illud, *Ego hodie genui te*, non *generationem*, seu communicationem eiusdem naturæ & essentiæ, sed meram *ex mortuis resurrectionem* dicit. Quamuis enim huc trahi posse videatur, tum quod Col. I, 18. ἀρχὴ πρωτότοκος τῶν νεκρῶν *principium, primogenitus ex mortuis*, tum quod Apoc. I, 5. ὁ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν *primogenitus mortuorum*, siue *ex mortuis*, Christus adpellatur; tamen titulus ille, qui per tropum, a filiorum primogenito desumptum, Christo prærogatiuam & præeminentiam præ cunctis reliquis, siue resuscitatis, siue resuscitandis ex morte, tribuit, fraudi non esse debet proprio significatui vocum, tum *filius meus*, tum *genui te*: utpote quem firmant parallela, Ebr. I, 4. Christus *tanto melior angelis effectus, quanto excellentius præ illis nomen hæreditauit*, & Mich. V, 1. *Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, cuius egressiones sunt ab antiquo, a diebus æternitatis*, cet. Vnde idem Ioann. III, 16. vocatur *Filius Dei vnigenitus*, Col. I, 15. *Imago Dei inuisibilis*, & Ebr. I, 3. *Splendor gloriæ, & Figura substantiæ Dei*.

Vrgetur

35  
36  
37

Urgetur ab aduersariis, quod secundum orthodoxam huius oraculi explicationem, de æterna Filii generatione a Patre, conciliari inuicem vix possint Præsens tempus *hodie*, & Præteritum *genui te*. Ad quam obiectionem responderi potest, vel verbis RAYMVNDI MARTINI in *Pug. fidei* Parte II. distinct. I. c. VIII. §. II. *Nota*, inquietis, *quod non dicit*, olim genui te, *quia sic videretur totaliter generatio hæc præteruisse & desuisse*; nec dicit, hodie gigno te, *quia sic videretur nouiter incepisse: conuenientius igitur dixit*, hodie genui te, *ut daret intelligi per hodie, generationem illam nunquam præteruisse, nec desuisse, & per genui, nunquam cæpisse, nec recenter inchoasse*. Vel si hæc pia magis quam solida visa fuerit conciliatio, per *hodie* intelligi potest *hodie æternitatis*, in quo secundum AVGVSTINVM ad h. l. *nec præteritum quidquam est, quasi esse deserit; nec futurum, quasi nondum sit: sed præsens tantum*. Vel denique, si & hæc interpretatio adfectata forte videatur; imprimis cum Ebr. הוּיָ הַיּוֹם *hodie*, siue *hoc die*, cum præfixo *He* demonstratiuo, vix alio significato, quam temporis præsentis, quod præterito contradistinctum sit, capiatur, v.g. Psal. XCV, 7. coll. cum Ebr. III, 7. 15. c. IV, 7. satius igitur fuerit, illud וַיֵּלֶדְתִּיךָ הוּיָ הַיּוֹם *genui te*, non tam de *generationis actu*, (qui tamen supponitur, quin & quam maxime simul innuitur,) quam de *illius manifestatione ac declaratione* intelligere, vt sensus sit: *Filius meus tu es, ego hodie genui te*, id est, re ipsa ostendi ac declaratum dedi, te filium meum esse, & ab æterno a me genitum, dum te post passiones ac mortem resuscitavi, & resuscitatum exaltaui, cetera. Erit ergo *hodie*, tempus illud, quod a resuscitatione Christi ex mortuis initia cepit, statumque exaltationis illius inchoavit: & conueniet argumento Psalmus hic II. cum illo CX. *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum duorum*, cetera.

Placet hæc explicationum vltima præ duabus prioribus: primo, quia secundum eam vocibus, *Filius meus, Hodie, Genui te*, proprius suus significatus relinquitur, aut saltem, quod ad vltimam attinet, tanquam principalis includitur. Deinde, quia fauet ei parallelismus realis, secundum quem Iesus noster demonstrari

B

debut

debuit pro Messia & Filio Dei ex eius tertio post mortem futura  
 ex mortuis resurrectione. Vt Matth. XII, 39. 40. *Generatio mala*  
*& adultera signum querit; & signum non dabitur ei, nisi signum*  
*Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus*  
*& tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus die-*  
*bus & tribus noctibus.* Et Ioann. II, 19. Christus Iudæis signum a  
 se poscentibus, *Soluite, inquit, templum hoc, & in tribus diebus*  
*excitabo illud.* In cuius declarationem subdit Euangelista v. 21. 22.  
*Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset a*  
*mortuis, recordati sunt discipuli eius, quod hoc dixisset; & credi-*  
*derunt Scripturæ, & sermoni quem dixerat Iesus.* Act. XVII, 31.  
 Deus statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate per vi-  
 rum, quem statuit, (Iesum) fidem præbens omnibus, (esse eum,  
 quem se professus est, Christum ac Filium Dei) dum suscitauit  
 eum a mortuis. Et Rom. I, 4. *Euangelium Dei -- de Filio*  
*suo, -- qui demonstratus est Filius Dei, (quanam in re?) in*  
*virtute, (quò modo?) secundum Spiritum sanctificationis, (vnde?)*  
*ex resurrectione a mortuis, Iesu Christo Domino nostro.* Tum ve-  
 ro firmare viderur datam explicationem Paulus Act. XIII, 32. 33.  
*Hanc (promissionem patribus factam) Deus adimpleuit filiis illo-*  
*rum nobis, ἀναστήσας, sec. versionem Lat. Vulg. resuscitans Iesum,*  
*(quomodo & B. Luth. in dem, daß er Iesum auferwecket hat) sicut*  
*& in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie ge-*  
*nui te.* Vbi τὸ ἀναστήσας, suscitans, non tam ad exhibitionem  
 & missionem Iesu in assumpta humana natura, quam ad suscita-  
 tionem eius a mortuis pertinere, innuere videntur & proxime  
 antegressa v. 30. *Deus vero suscitauit eum a mortuis tertia die, sta-*  
*timque sequentia, v. 34. Quod autem suscitauit eum a mortuis, am-*  
*plius non reuersurum in corruptionem, cet.* Nec vero, valide ob-  
 verti potest, quod l. c. ἀναστήσας suscitans absolute positum, sine  
 adiecto ἐκ νεκρῶν ex mortuis, non resurrectionem, sed missionem  
 Christi dicere videatur: quia ex Act. II, 24. 32. liquet, τὸ ἀναστή-  
 σαι etiam tum, cum absolute ponitur, suscitationem ex mortuis  
 significare posse.

Cum

Cum igitur ex data explicatione, **וְיִלְדֶיךָ לִּי** genui te idem fit, ac **כִּי יִלְדֶיךָ הוֹרַעְתִּי לִּי** notum feci, demonstraui, manifestaui, re ipsa potius & opere, quam verbis, *quod genuerim te*; quaeri potest, num genius stili sacri talem explicationem admittat? & num analogica talis locutionis exempla suppetant? Vtique talia sunt: v. g. in tabulis V. T. Exod. XXXIII, 13. *Vt אֶמְצֵא inueniam*, i. e. re ipsa intelligatur, & manifestum fiat, me inuenisse, *gratiam in oculis tuis*, coll. v. 12. vbi Deus dixerat Mofi, *Inuenisti gratiam in oculis meis*; Num. XIV, 17. **יִגְדֵל** *Magnum fit*, i. e. manifestetur esse magnum, *robur Domini*, siue, vt Arabs P. reddidit, *Adpareat magnitudo roboris tui*; 2 Reg. XIX, 16. **וְשָׁמַע** *Et audi*, i. e. opere ipso testatum fac, Domine, te audiuisse, *verba Sanche-ribi*; Psal. LVII, 6. 12. **רוּמָוִי** *Altus esto*, i. e. altitudinem tuam, qua *super caelos emines*, manifesta, & palam demonstra, *Deus*; Psal. LXXVIII, 29. **עֲתִירִי** *robustus esto*, *Deus*, pro, *robur tuum opere ipso demonstra*; Psal. LXXXIX, 28. *Etiam ego*, inquit Deus Pater de Christo Filio suo, *primogenitum אֶתְהַוֶּהוּ ponam illum*, i. e. talem esse palam demonstrabo, coll. v. 27. *Ipse vocabit me, Pater mi!* Sic in N. T. Act. II, 36. *Dominum & Christum fecit* (h. e. esse declarauit, & gloriose manifestauit) *Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis*. Et Iac. II, 22. *Ex operibus fides ἐτελειώθη consummata s. perfecta*, h. e. vt B. 10. CHRISTOPH. WOLFIVS in Curis ad I. c. recte explicauit, *Ex operibus fides eius, vt perfecta prodita est & agnita*. Confer. *eiusdem* WOLFII Curas philol. & crit. in N. T. Tom. II. p. 797. seqq.

Quo omnia cum ita, vt scripsimus, se habeant, *Carissimi Ciues*, igitur id agite, vt Iesum Dominum nostrum, cum ex aliis argumentis, tum vero maxime ex resurrectione eius a mortuis, agnoscatis demonstratum vt Filium Dei, eumque ab aeterno a Patre genitum. Et vero caueate, ne qui vestrum sint in numero aduersariorum Dei & Christi, qui hoc ipso in Psalmo v. 2. loquentes introducuntur his verbis: *Dirumpamus vincula eorum, & proiciamus a nobis iugum ipsorum*. Neque sitis in classe illorum ciuium rebel-




rebellium, qui secundum Luc. XIX, 14. de rege suo peregre profecto dicebant: *Nolumus regnare hunc super nos.* Potius reputate, quod Christus Matth. XI, 29. 30. dixit: *Tollite iugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Inprimis vero & vobis dictum putate, quod vates diuinus v. 10. 11. 12. ipsis regibus terrarum hortando, comminando & promittendo grauissime inculcat: *Et nunc, reges, intelligite: erudimini, qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Adprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via, cum exarserit breui ira eius. Beati omnes, qui confidunt in eo!* Faxit Deus, vt huius beatitudinis participes euadamus vniuersi! P. P. in Academia Fridericiana in vigiliis sacrorum Paschali-um A. MDCCLIV.





VIII 3.30 3238  
39

18.9.87  
A. S. 6. 11.  
A. 03.



gustanis illis comitiis interfuimus, gratissimoque animo compositionem illam & pacem de rebus ad religionem atque finitentibus, ibidem faciam. Vt ergo pietas nostra erga deum solenni ratione declaretur, d. d. XXX. Septembris producam centes optimam spem de se praebentes, nobisque dilectissima verba huic tempori & loco accommodata facturos, hoc or-

VRITIVS AVGVSTVS de THVM-  
MEL, eques Misn.

culo primo catechismi maioris in libris ecclesiae nostrae symboli-  
deum patrem creatorem & conseruatorem tam omnium rerum,  
n huius scholae nostrae canet ode Germ.

ROL. LVDOV. FRIDER. BETKENI-  
S, Schmidebergensis Saxo,

am euangelico-Lutheranam de deo filio I. C. *Ἰεανθωπω*  
o humani generis saluatore ex eiusdem catechismi articulo altero  
bus hexametris eloquetur.

HRISTOPH. IOH. GOTTFR. HAY-  
LANNVS, Portensis Misn.

eficiis atque effectis dei spiritus sancti, in ecclesia & scholis, ex art.  
o aget. Latine.

OH. ADOLPH. GOTTLOB TRAVT-  
WEIN, Schoenwerd. Misn.

am belli Schmalcaldici enarrabit. Latine.

V. CHRI-

